



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitata ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Notitia practica non necessario determinat voluntatem, vt sibi
conformetur, non item vendicat subiectum, quod sit causa principalis, aut
potens operationem edere. cap. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

obiectum, quatenus concipitur vt finis aptitudinalis, causare in genere causæ finalis specificationem, ac distinctionem notitiæ practicae, vt rectè etiam probant argumenta Scoti: requiri tamen rationem finis aptitudinalis ex parte obiecti, vt notitia practica propter illum sit talis natura: quemadmodum cetera quæ sunt propter finem in ordine ad ipsum, habent proprium esse: quod cum à Deo sit, hoc ipso est propter eiusmodi finem, licet à voluntate creata actu ad illum non referatur. Quod in alijs etiam patet: nam intellectus, & aliæ potentia vitales in ipso generationis momento sunt propter suas operationes: quamuis actu eas non exercent, neque ad ipsas tanquam ad finem referantur ab ipso viuentis. Vnde non sunt audiendi Ocham. quæstion. 11. prolog. litter. F. & Gabriel. quæstion. etiam 11. artic. 2. conclus. 5. dum negant praxim esse causam finalem notitiæ practicae, nisi actu ab addiscente intendatur. Tertium argumentum supponit id, quod paulò ante negatum est, nimirum ab aptitudinali ratione finis, modo superius explicato non trahi radicaliter propriam rationem formalem obiecti proximi notitiæ practicae, & ideo hac suppositione facilè negata eluditur argumentum. Sed claritatis gratia. Respondeo nullum ex tribus membris, in argumento numeratis, esse dandum: non primum, aut secundum, vt rectè argumento conuincitur. Non tertium, quoniam obiectum cognitum absolute abstrahit à ratione operabilis, & ita non potest esse ratio obiectiua notitiæ practicae. Et ita assignanda est alia finis consideratio, nempe quando est possibilis intendi ab operante per intellectum, & voluntatem: ex hoc enim habet, vt operatio regulari possit à notitia practica, & vt sit proximum, & formale obiectum illius, vt dictum est. Ad obiectionem verò, qua hoc impugnatur, Respondeo, non semper finem cuius gratia, debere esse perfectiorem re, quæ est ad ipsum: etenim autore Philosopho libr. 1. Ethic. cap. 7. vnumquodque est propter suam operationem, planum verò est substantias, quæ sunt prima operandi principia, longè perfectiores esse operationibus ipsis; dicuntur tamen esse propter ipsas tanquam propter perfectionem suam, qua magis perficiuntur; ita quamuis interdum notitia practica sit excellentior praxi, non proinde repugnat, vt sit gratia illius. Ad vltimam confirmationem respondent aliqui recentiores, de ratione scientiæ practicae in tota sua amplitudine, vt

creatam, & increatam amplectitur, non esse habitudinem ad finem: sed solummodo rationem mensuræ siue regulæ operandi: quæ conuenit etiam scientiæ diuinæ, cum prior illa habitudo ad finem soli creatæ conueniat. Quæ solutio quantum attinet ad præsens institutum, sufficiens est. An verò, & quomodo actiones Dei immanentes in operando, aut dirigendo operationes finem respiciant, non est huius loci explicare. Hoc vnum est certum, scientiam Dei practica non esse contentam ipsa obiecti contemplatione, sed actionem quoque respicere. Neque opus est, vt condiciones omnes repertæ in creatis perfectionibus insint Deo, quoniam plurimæ important aliquem modum imperfectionis, vt importare videtur ordo ad finem. Sed de hoc alius.

Notitia practica non necessàriò determinat voluntatem; vt sibi conformetur: non item vendicat subiectum, quod sit causa principalis, aut potens operationem edere.

CAPVT VI.

Circa prædicta, tria supersunt dubia, duo ex parte subiecti, vnum ex modo regulandi, aut determinandi appetitum. Est verò, vt ab eo incipiam, vtrum scientia practica debeat necessàriò determinare voluntatem, vt sibi conformetur in eligendo, & operando. Primum ex parte subiecti est, vtrum oporteat, vt id sit causa principalis praxeos. Secundum verò, vtrum possit esse scientia practica de re non agibili ab ipso sciente; Et quidem primo dubio affirmatiuè respondet Henricus 1. p. summæ artic. 8. quæstion. 3. in fine corporis & artic. 36. quæstion. 4. Scotus quæstion. 5. prolog. art. 2. cum Lychet. ibidem & 1. d. 38. quæstion. vnica. Mayron. in 1. d. 48. quæstion. 2. art. 2. conclus. 4. Bassol quæstion. 8. prolog. §. Secundus articulus, qui id circo negant scientiam practica in Deo, quoniam voluntas diuina respectu creaturarum rerum non habet vllam regulam necessitantem: libere enim operatus est omnia, quæ voluit in cælo, ac in terra: & si operari noluisset, non proinde voluntas ipsius à rectitudine declinasset.

Ocham.
Gabriel.

Aristot.

clinaslet. Huius sententiae nullum video fundamentum nisi forte testimonium Aristotelis libr. 3. de Anima. t. 46. qui vult præceptum esse de ratione intellectus practici, imperium vero videtur inducere necessitatem operandi.

II. Nihilominus dico. Ad rationem notitiae practicae non requiritur vt necessarium determinet voluntatem ad operandum: sed solum, vt sit directiua operationis, siue voluntas obligetur sequi eius regulam, siue non. Ita Richardus quodlib. 2. art. 1. q. 1. art. 7. Henric. quodlib. 8. quaestio. 1. vbi videtur sententiam suam saltem ex parte retractasse. Heruæus quodlib. 1. quaestio. 3. artic. 4. Ocham. quaest. 11. prolog. coroll. 2. Gabriel. quaestio. 11. art. 2. conclus. 5. Caetan. 1. p. quaestio. 14. art. 16. ad obiect. Scoti contra primam conclusionem. Probatur vero in arte, cuius præcepta neminem absolute obligant ad operandum, potest enim quis præcepta artis callere, & absque ullo vitio, aut peruersitate ordinis nunquam ex arte operari. Henric. tamen vbi proximè distinguit duplicem notitiam practicam, scilicet ostensiuam, & directiuam: illam ait versari circa artificialia, & non necessitare voluntatem: hanc circa moralia, & necessitare. Hanc tamen distinctionem bene impugnat Heruæus citatus, quoniam consilia sunt dictamina practica, nec tamen inducunt moralem operandi necessitatem. Itaque notitia omnis per se regulans operationem habet ordinem ad finem, & consequenter est practica, & tamen non omnis inducit obligationem moralem operandi secundum ipsam. Illud libenter Henrico, & alijs dederim, exceptis consilijs, quæ non nisi ex propria voluntate obligant, cætera dictamina practica eiusmodi esse, vt si o-

p. dum aliquid sit circa materiam ipsorum, inducant necessitatem, saltem ex hypothese: ita vt sequatur priuatio rectitudinis, & difformitas vel moralis, vel saltem artificialis, nisi secundum regulas notitiae practicae fiat opus. Quod etiam locum habet in voluntate diuina circa opera ad extra: posito enim quod operetur, non potest conformari notitiae practicae, quam habet, quatenus est agens morale, & artificiale operando, vel secundum virtutem, vel rerum naturas procreando iuxta ideas practicas, quas habet. Porro præcipere mentale, quem actum proprium esse intellectus practici sentit Aristoteles, non semper accipitur pro actu proprio imperandi

inducente obligationem, aut necessitatem, sed etiam pro quauis directione ad opus.

III. Quod attinet ad secundum dubium, Argentin. quaestio. 4. prolog. a. 2. ad finem agens contra Scotum vult ad rationem praxis requiri, vt sit in nostra potestate tanquam in causa principali, & consequenter idem exigit ad rationem notitiae practicae ex parte subiecti. Quamuis enim expresse non vtatur distinctione causae magis, vel minus principalis, tamen satis indicat, cum dicit directionem eorum actuum non cadere sub facultate humani intellectus, & requirere directiuum supernaturale: quæ supponunt hominem non esse causam principalem illorum: idem enim probat dilectionem Dei non esse praxim, quia non est in potestate nostra: sic enim rediret error Pelagij: non est autem error Pelagij asserere, non esse causas minus principales talium actuum. Probat autem, quoniam ad eos actus requiritur directiuum supernaturale, iuxta illud Apostoli ad Romanos 8. *Qui spiritu Dei aguntur, his illi Dei sunt.* Et confirmari potest, quoniam agentis principalis est dirigere, ac regulare operationes minus principalium agentium, vt patet in duce & architecto.

IV. Oppositum tamen expresse docet Durand. quaestio. 6. prolog. numer. 21. Heruæ. quaestio. 4. §. *Quantum ad tertium*, ad secundum. Bassolis quaestio. 8. prolog. a. 1. §. *Tertii dicunt.* Ad primum & Mayron. in 1. d. 48. quaestio. 2. a. 2. difficultate 3. & consentiunt omnes, qui dicunt Theologiam esse practicam in ordine ad dilectionem Dei, & alios actus supernaturales ex virtutibus infusis elicitos perducentes hominem ad beatitudinem. Ita Albert. in summa tractat. 1. q. 3. in 3. Scot. qu. 5. prologi dum impugnat primas quatuor operationes. Aureol. quaest. 3. a. 1. dum impugnat secundam & quintam opinionem. Ocham. q. 12. sæpius, Bassolis quaest. 8. a. 1. §. *Contra secundam.* Mayron. q. cit. a. 2. conclus. 1. Gregor. qu. 5. prologi a. 4. Maior. q. 6. Fundamentum est, quoniam non semper causa principalis ita dirigit operationem minus principalium, ut hæc instar inanimi instrumenti moueantur ad solum nutum, & impressionem principalis agentis, sed interdum ipsos proprios motus agere finit per regulam proprii intellectus liberè applicatam ad operationes: & hoc modo fabri, quo-

rum ope-

III.

Argent.

Ad Rom. 8.

IV.

Durand.

Heruæus.

Bassolis.

Mayron.

Albertus.

Scotus.

Aureolus.

Ocham.

Bassolis.

Mayron.

Gregorius.

Maior.

rum operationes diriguntur ab architecto, ad consummationem totius ædificij operantur ex arte fabrilī, & eius regulis practiciis: item milites, quorum militia refertur à duce ad finem victoriæ, singuli vtuntur peritia militari practica: itaque ex discrimine causæ purè instrumentariæ naturaliter operantis, & minus principalis liberè operantis colligitur in hac semper dari aliquam notitiā practica, qua vt rationabiliter operetur, mensuret operationes proprias. Secundo quicumque liberè elicit operationes supernaturales studiosas, est causā minus principalis ipsarum: ad eas autem studiosè eliciendas indiget notitiā practica: ergo ad rationem praxis, vel notitiā practica non requiritur, vt illa vtens sit causā principalis. Maior propositio est verissima, & admittitur ab ipso Argentinatense. Assumptio probatur, quoniam omnem operationem studiosam præcedit actus prudentiæ, cui illa cōformatur, prudentia vero notitiā practica est. Deniq; nisi homo ipse posset, ac deberet operationes suas actu dirigere, & mensurare singulis notitijs practiciis, deductis ex regulis vniuersalibus circa operationes supernaturales, frustra in sacris literis propositæ fuissent tot regulæ generales, circa operationes eiusmodi: nam regulæ generales non regulant per se, & immediatè, nisi explicatæ per iudicium prudentiale ad singulares euentus. Nec soluit argumentum responsio eiusdem ibidem ad 1. dum ait, non fat esse conformitatem rationis nostræ ad directionem actus supernaturalis; etenim quamuis sola ratio naturalis, nequeat præfigere certam normam actionibus supernaturalibus, potest tamè, quatenus nititur regulis vniuersalibus à Deo reuelatis, & applicatis, per prudentiā infusam ad singulos casus. Ad fundamentum Argentinatense. Respondetur, ex illo loco solum haberi spiritum sanctum esse præcipuum auctorem operationum supernaturalium: cui etiam tanquam causæ præcipuæ adscribenda est ipsa quoque directio supernaturalis, ad opera superioris ordinis. Id vero non impedit, quominus ipse quoque homo, tanquam causā minus præcipua dirigat opera sua secundum regulas supernaturales. Ad confirmationem respondeo, directionem principalis agentis relinquere locum directioni causæ minus principalis liberæ, vt patet ex dictis, etiam in ipsis exemplis, quæ adducuntur in argumento.

V.

Quod attinet ad tertium dubium mul-

ti existimant non posse haberi notitiā practica eorum, quæ non sunt operabilia ab eo ipso, qui habet scientiam. Ita Heraclitus q. 4. prologi. §. *Quantum ad secundum.* Aureol. q. 3. a. 2. Bassol. q. 8. §. *secundus articulus.* Capreol. q. 2. a. 2. ad primum contra secundam conclusionem, & ad primum, & secundum Aureoli contra sextam concl. Lychet. q. 5. initio, & probabile existimat Anton. Andr. q. 4. & sequuntur non pauci recentiores. Id vero, vt notat Capr. vbi supra ad 1. contra secundam conclusionem, intelligendum est suapte natura, & per se, nam si per accidens redditus sit impotens ad operandum, non propterea scientia desinet esse practica: vt si cui eruantur oculi, aut truncentur manus, quibus indiget ad artis suæ exercitium, nō proinde hoc ipso amittet artem; quare infirmo nituntur fundamento, qui hoc argumentum hanc sententiam impugnant: neque enim in eo sensu asseritur ab auctoribus: sed quando sciens, suapte natura impotens est ad exercendam operationem: Verbi gratia, Philosophus naturalis scit quomodo ex eleuatione, & conglaciatione vaporum in media aeris regione pluuiæ decidant, quia tamen eleuatio vaporum, congregatio nubium, & imbrium effusio non subest potentia actiue ipsius, non dicitur habere scientiam practica harum, & similium actionum naturalium. Hæc scientia videtur de mente Diu. Thomæ, nam quæst. 3. de ver. 8. Thom. rit. a. 3. ad 4. docet practicum intellectum esse de his, quorum principia sunt in nobis: non quoquo modo, sed in quantum sunt per nos operabilia: pro quo stare etiam videtur Aristoteles lib. 6. met. t. l. lib. 7. t. 23. libr. 9. t. 2. & sæpè alibi, qui in eo distinguunt artē & alios habitus practicos à contemplatiuis, quod principia rerum, quæ ab arte tractantur, sunt in artifice, rerum autem, quas contemplatiui considerant, sunt extrinsecus. Suadetur autem ex conditionibus scientiæ practiciæ iam constitutis, quarum præcipua est ratio ordinis, scilicet habitualis ad finem, quæ nullo modo conuenit tali scientiæ, nam cui repugnat actualis operatio, repugnat etiam ordo ad finem, qui non nisi operando acquiritur: sed vt supponitur scientiæ, de quo sermo est, repugnat operari actu: ergo etiam repugnat aptitudinalis habitudo ad finem, & consequenter ratio notitiæ practiciæ. Et confirmatur, quoniam idem subiectum non potest esse simul potens, ac impotens, comparatione eiusdem: is vero, qui habet scientiam practica, habet potentiam, vt

constat

constat ex Aristo. 9. met. t. 3. ubi scientiam practica appellat potentiam, & consequenter, qui illa praeeditus est, erit potens, ergo scientia eius, qui est impotens ad operandum, non est practica.

VI. Oppositam sententiam sequitur Bonaventura in 3. d. 14. a. 3. quaestio. 3. ad penultimum argumentum, dum concedit Christo Domino datam fuisse scientiam operum diuinorum, cui non poterat cooperari. Gregorius quaestio. 5. prologi a. 2. dum impugnatur Aureol. Mayron. in 1. d. 48. quaestio. 4. ad tertium, & quartum. Quae suaderi potest his argumentis primo, Deus optimus maximus habet scientiam practica de rebus nulla ratione operabilibus, à se ipso in propria natura diuina; ergo non est omnino requiritum ad rationem notitiae practicae, ut sit in subiecto habente suapte natura facultatem utendi illa. Assumptum ostenditur, quoniam actus virtutum moralium, quae supponunt naturalem aliquam imperfectionem in subiecto; verbi gratia, obedientia, religio, temperantia, nullo prorsus modo in Deum cadunt: & tamen in mente diuina scientia practica mensurans, ac dirigens actus eiusmodi: ergo verum erat assumptum. Minorem ostendo: quoniam dictamina practica naturalia insita mentibus nostris, sunt participationes quaedam scientiae diuinae practicae: quemadmodum ergo in nobis sunt dictamina practica illarum virtutum, ita etiam sunt in Deo ideae, etque exemplaria nostrorum. Et confirmatur, quoniam nihil scibilitatis est in rebus, quod non sit actu scitum scientia diuina, sed in obiecto harum propositionum Deus est colendus, parentibus est obediendum est, scibilitas practica: ergo huic scibilitati obiectivae responderi in mente diuina scientia formalis practica. Secundò ratio scientiae practicae non est sola denominatio extrinseca accidentaria subiecto, quae manente scientia ipsa possit vicissim adesse, & abesse, si vero sola impotentia subiecti ad operandum impediret rationem notitiae practicae, eadem scientia modo esset practica, modo non: ergo impotentia eiusmodi est conditio per accidens. Assumptionem probo, fieri potest saltem diuina virtute, ut eleuetur homo ad operationem, ad quam suapte natura est impotens: verbi gratia, si conferat illi Deus potentiam congregandi nubes, & gignendi pluuias, aut aliquid eiusmodi operandi: hoc supposito, iam scientia, quam habebat, incipiet esse practica, quandoqui-

dem tollitur impedimentum, quod obstat, & tamen antea non erat practica iuxta oppositam sententiam: ergo sequitur eandem scientiam modò esse practica, modò speculatiua, quae erat assumptio probanda, quod licet admittant aliqui doctores oppositae sententiae, tamen falsum est, ut magis constabit cap. sequenti. Tertiò illa notitia est verè practica, quae inuariata in se, & absque additione alterius notitiae potest esse principium directiuum operandi, sed notitia illa, quae ex sola impotentia subiecti ad operandum definit esse practica, si Deus illi suppeditet vim operandi, supra propriam illius naturam, inuariata, & absque adminiculo nouae notitiae potest esse principium directiuum operationis: ergo est practica. Maior propositio per se patet. Assumptio colligitur ex suppositione, secundum quam procedit haec difficultas: nempe quod scientia talis sit, ut per eam sciens agnoscat modum, & normam operandi, non sit tamen suapte natura potens exercere operationem ex defectu naturalis potentiae: nam hac suppleta, vel collata diuinitus, nihil deerit ad operandum: Et ita notitia illa poterit esse principium directiuum operationis: ergo secundum se est practica, etiam antequam subiectum sit potens operari.

In hac dubitatione, ut benè notat Gregorius & Mayron. ubi proximè, aut loqui possumus de facto, aut de possibili: si de facto loquamur in rebus creatis, siue in hominibus, quorum experientiam habemus, vera est prior sententia: nullus quippe est, qui verè, ac propriè habeat scientiam practica eorum, quae suapte natura, vel saltem de lege operari nequit; dico saltem de lege, quandoquidem ad actiones supernaturalis ordinis gratiae, quemadmodum habet de lege auxilium sufficiens, ita habet ex fide, & prudentia infusa dictamina practica, quibus eiusmodi actiones regulantur. Ceterarum verò, quae superant naturalem facultatem, non habet scientiam practica, verbi gratia, quomodo generari debeat imber, grando, nix, glacies, quomodo germinet terra herbam virentem, adolescant sata, fructes, & arbores folijs, ac floribus vestiantur, & eiusmodi alia: quae diuinæ potentiae, & scientiae, practicae subiecta sunt. Idque adeò verum est, ut quamuis homini comunicaretur à Deo vis actiua patrandi similia opera, & sibi relinqueretur, cum solo generali cursu, & tali potentia non infusa simul scientia practica ad operandum requisita, ni-

VII.

Gregorius.
Mayron.

hil omnino faceret, & similis omnino esset homini artis musica ignaro, cui non deessent membra habilia, & instrumenta musica apta ad concentum edendum, & nihilominus illum edere nequaquam posset, ex defectu artis dirigentis motum manus tacturae cordas, itaque omnis scientia, quam de his rebus habent Philosophi, est merè speculatiua instar eius, quam homines expertes artis habent, cum vident pictores pingentes, vel audiunt musicam harmoniam: vident enim quo modo vel hi, vel illi manus, & labra moueant, quo modo pingant, & canant: at qua methodo, qua symmetria, qua proportionē seruata id praestent, omnino ignorant. Ita Philosophi quo modo Deus, & natura effectus suos operentur, utcumque experientia, & ratione magistra cognoscunt: at quas in operando regulas, quam mensuram sequatur neque sciūt, neque scire naturaliter possunt. Quare etiam ignorant quomodo ipsi operari deberent, si vis actiua sibi à Deo tribueretur. Itaque earum rerum, quae suapte natura excedunt facultatem naturalem, nullam prorsus habent notitiam practicam, praecipue cum etiam ad ea, quae de facto supranaturaliter eleuantur, non semper habeant eiusmodi scientiam, ut constat in miraculosa operatione per sacramenta, posita opinione, quae physicam efficientiam ijs tribuit: non enim sacerdos, qui consecrat, aut absoluit à culpis, habet practicam scientiam constituendi corpus Christi sub speciebus panis, aut gratiam in animo producendi. Vnde patet non rectè existimasse Aureol. & Capreolum vbi supra, dicentes scientiam, quam habet Philosophus de generatione rosae, modo ex defectu potentiae esse speculatiuam, si verò illi adderetur, futuram esse practicam.

In Deo verò, & quauis causa superiore dirigente causas sibi subordinatas, est de facto scientia practica operationum, quas ipsa per se sola non posset efficere. Hæc asseritur ab Scot. quaestione. 5. prolog. §. Secundus art. vbi asserit, si superioris causae cognitio aliquid facit ad praxim inferioris operantis, iam superiorem habere aliquam praxim, respectu cuius sua cognitio, sit practica. Idem censet Hispal. quaestione. 2. a. 3. notab. 2. & a. 4. ad primum contra primam conclusionem, docens artes architectonicas esse practicas, quatenus dirigunt operationes artificum sibi subordinatorum. Et satis confirmatur primo argumento, pro Scoti opinione proposito: cui accedit commune axioma philosopho-

rum, nempe opus intelligentiae non errantis. Ex quo ita deducitur proposita assertio. Omnis operatio, quae non à casu, & raro, sed semper, vel plerumque ordinata sit, dirigitur à priori aliqua regula dirigente: opera naturae sunt ordinatissima, non fortuito, aut temere edita: ergo habent regulam dirigentem: hæc non est in ipsis agentibus naturalibus, ut pote maiori ex parte cognitionis expertibus: ergo in aliqua superiore causa, quae dirigit, & gubernat agentia inferiora: quare notitia, quae ita dirigit, practica omnino est: nam cum respiciat finem alium à se, speculatiua esse non potest. Responderi ad hanc argumentationem potest dicendo, in operatione Dei, & causarum secundarum duo considerari posse, alterum directionem, & actionem ipsam Dei, qua simul cum omnibus operatur, alterum actionem ipsam creaturae, prout ab ea immediate egreditur, & respectu prioris scientiam diuinam esse practicam, non autem respectu posterioris, atque ita non probari hoc argumento, habere Deum scientiam practica rerum, siue operationem, quas ipse non efficiat. Et ita sentit Gregorius quaestione 5. prolog. a. 1. & Bassol. vbi supra. Verum omitta actione Dei, & considerato solum influxu creaturae ostendo scientiam Dei regulantem hanc ipsam actionem, prout à creatura egreditur, esse practicam: etenim scientia diuina non intuetur hanc actionem purè speculatiuè, sed praescribendo modum, ac normam illius, quod non nisi ad scientiam practica spectat, & est similis scientiae, vel prudentiae architectonicae: qua architectus dirigit operationes inferiorum artificum ad finem totius fabricae, Rex ciuium ad finem communem rei. dux supremus inferiorum ducum, & militum ad victoriam: quàmuis enim in his interueniat aliqua operatio superioris agentis, nempe, gubernatio, tamen per hanc ipsam scientiam, quae in ipso est, mensurat, ac regulat operationes inferiorum, quarum respectu sub hac consideratione non est speculatiua, sed practica.

Tandem si loquamur de possibili potentia scientis ad operandum, non est per se requisita ad scientiam practica. Hanc positionem probant 2. & tertium argumentum pro secunda sententia adductum, quibus addo modum intrinsecum, vel proprietatem inseparabilem à qualitate, vel scientia separabili, à subiecto non dependere per se à tali subiecto, sed in quouis subiecto ponatur illam necessarium comitari. Patet, quoniam alias non erit

modus

Aureol.
Capreolus.
Scot.
Hispal.

IX.

modus, vel proprietas, sed accidens separabile ab eiusmodi qualitate: fieri autem non repugnat vt Deus infundat homini habitum notitiæ practicae, quam habet angelus de re operabili ab ipso angelo nō ab homine; ergo cū ratio practica vel sit modus intrinsecus, vel saltē proprietas talis habitus, non tollitur ab ipso per infusionem in intellectum humanum, & ita per se loquendo potentia scientis ad operandum non tollit rationem practicae scientiæ. Dicit aliquis, non eandem esse rationem habituum, & actuum, ideoque quamuis habitus practicus esse queat in subiecto suapte natura inepto ad operandum, actum nullo modo posse: siquidem actus practicus est actualis directio, quæ dari nequit absque appetitu, & intentione finis, quæ in subiecto impotente non datur, impossibile enim nō est appetitio. Verum ego non video cur repugnet eum, qui habet habitum sciendi, elicere actum, cum nihil dicit ex parte causæ, nulla sit contrarietas ex parte intellectus, nam actuum practicum, vt in superioribus demonstratum est, & in artificialibus patet, non omnes pendere ab actuali appetitione finis; si ergo artifex ad operandum ineptus ex casu potest actu mente reuoluerē dictamina practica artis suæ sine absoluta voluntate operandi, cur non poterit is, qui habet habitum practicum, tamen si ex propria natura sit destitutus potentia ad operandum secundum regulas scientiæ habituales, quam habet?

X. Neque Aristoteles huic sententiæ aduersatur, loquitur enim de facto. Non enim homines eorum, quæ ab ipsis non sunt operabilia, scientiam habent, aut principium illam acquirendi: esset enim superflua natura, tribuendo scientiam agendi ijs, qui ea et vi actiua. D. Tho. multo facilius exponi potest, nam cum scientiam practicae actu solam illam appellet, q̄ supponit operandi voluntatem, consequenter recte existimat ad hunc modū scientiæ requiri in sciente operandi facultatem, sine qua haberi nequit voluntas. Qui verò non requirunt potentiam considerant id, quod solum per se est de ratione notitiæ practicae, nempe vt non sola veritatis cognitio contenta sit, sed vltius respiciat praxim, cui regulas præscribit; & ita notitiam omnem directiuam suapte natura censent esse practicae, quamuis per accidens ratione subiecti directio hæc habere nequeat effectum. Et ita ad primum argumentum prioris sententiæ quatenus dictis re-

pugnat, respondendum est, adhuc in eiusmodi scientia quantum de se est, dari aptitudinalem habitudinem ad finem, cui actualis operatio non repugnat per se, sed per accidens ratione subiecti, quod non impedit rationem intrinsecam scientiæ. Ad confirmationem respondeo eadem ratione: concludi posse artificem, cui practica sunt membra ad operandum necessaria, simul esse impotentem, ac potentem: impotentem ratione defectus membrorum, potentem ratione artis, qua pollet. Quemadmodum autem ex hoc non sequitur notitiam, quam habebat antea, desinere esse practicae, ita neque concluditur eam, quæ infunderetur homini de operationibus suapte natura illi impossibilibus, non esse practicae. Respondeo itaque, Aristotel. non dixisse simpliciter eum, qui pollet arte, esse potentem, sed solum numerasse artem inter potentias. At verò non omnis potentia reddit subiectum simpliciter potens, nisi ea, quæ est completa, & in actu prima, quæ verò exigunt concursum alterius principij, nequaquam. Quo pacto intellectus est potentia intelligendi, quia tamen nudè sumptus absque spe non potest exire in actum secundum, verè dicimus hominem, quamdiu intellectus eius manet, vt tabula rasa nulla specie figurat⁹, non posse intelligere. Similiter ars potentia quidem suo modo est, verum non sola sufficiens ad operationem absque concursu potentiæ executiua, quam dirigat: id circo qui carens potentia executiua haberet scientiam practicae, simpliciter esset impotens ad agendum, secundum quid potens ratione principij directiui: accedente verò potentia executiua esset simpliciter potens. Argumenta pro secunda opinione adducta non indigent solutione, nam primum procedit de notitia Dei regulante operationes creatas, quæ verè est practica, vt constat ex dictis, posteriora duo procedunt de possibili considerando id, quod per se est de ratione notitiæ practicae; nempe, vt per se, ac propriè sit directiua operationis à se ipsa diuersæ.

XI. Ex dictis toto hoc tractatu elici potest vera notio scientiæ practicae, & speculatiua, & proprium discrimen ipsarum inter se, namque scientia practica nempe actualis, de qua hætenus sum locutus, ita describi potest: est notitia obiecti operabilis præscribens modum, & rationem operandi. Nomine obiecti operabilis, per se, ac propriè intelligi-

tur ipsa praxis, quæ est immediatum obiectum notitiæ practicæ: semper enim, vt benè notant Doctores relati capit. 4. numer. 5: praxis ipsa est saltem pars obiecti notitiæ practicæ, si verò nomine obiecti intelligatur obiectum attributionis, circa quod scientia versatur, tunc non semper est opus, vt ipsum sit aliquid operabile, sed sat est, vt sit terminatum praxeos, quam scientia dirigit; quia vero etiam de obiecto operabili potest esse notitia speculatiua, additur propria ratio quæ consistit in directione, qua præscribitur operandi modus: vel imperatiuè inducendo necessitatem obligationis, vt plerumque accidit in dictaminibus moralibus, vel ostensiuè, vt in artificialibus. Et hac ipsa præceptione indicatur ordo ad finem, qui enim operationem dirigit, finem intendit: scientia verò speculatiua sic describi potest: est actus intellectus tendens in solam obiecti veritatem sine habitudine ad alium finem, sine dictamine, aut regula operandi. Quæ descriptio patet ex declaratione notitiæ practicæ. Ex cognitione verò actui facillè dignoscitur natura habituum, est enim scientia practica, habitualis inclinatio ad actum directiuum praxeos: speculatiua vero habitus inclinans ad solam speculationem, quibus positis pro huius materiæ complemento, superest indagandum, quomodo hæ differentię se habeant ad singulas scientias.

Practicum, & speculatiuum non sunt differentię essentialis diuidentes omnes habitus intellectuales, sed solum scientias naturales.

CAPVT VII.

I. IN controuersia est apud Authores, vtrum practicum, & speculatiuum sint differentię essentialis scientiarum, an verò solum accidentales: quæ quæstio potest intelligi dupliciter, primum quidem vtrum semper arguant distinctionem specificam. Deinde verò vtrum ipsæ sint veræ differentię essentialis, quod attinet ad priorem sensum quæstionis, plurimi è recentioribus censent esse differentias accidentales, ex varijs tamen fundamentis. Nam qui credunt

scientiam non esse practicam ex solo defectu potentie exercendi operationem, admittunt accedente, vel recedente eiusmodi potentia eandem sententiam, modo esse practicam, modo speculatiuam, ex quo fundamento id docet Aureolus ^{Aureol.} quæstion. 3. prolog. art. 2. & tanquam probabile admittit Capreol. quæstion. 2. ^{Capreol.} prolog. a. 2. ad 1. & 1. contra 6. conclusionem. Item qui existimant ad rationem scientiæ practicæ requiri actualem relationem eius in finem, eodem modo dicent, eandem conclusionem moralem cognitam, absque eo quod actu voluntas intendat operationem esse speculatiuam, cum vero voluntas intendit finem, & cognitionem applicat ad directionem operationis volitæ inducere rationem practicæ. Tertium fundamentum est aliorum, qui censent eas conuenire simul eidem habitui naturali, qui diuersarum conclusionum respectu, & est speculatiuus, & practicus: cuiusmodi aiunt esse logicam & scientiam moralem: quæ modo considerant naturam, & proprietates subiectæ materiæ, modo regulas operandi tradunt, & consequenter habent simul rationem practici, & speculatiui. Id verò probant, quoniam duæ illæ scientiæ plurima demonstrent de suis subiectis, quæ merè speculabilia sunt: neque vllam praxim immediatè regulant.

Verum opposita sententia multò communior est apud doctores, qui saltem in scientijs naturalibus docent practicum & speculatiuum elicere vel differentias essentialis, vel proprietates ab illis procedentes, quos inferius referam. Et nullum ex allatis fundamentis sufficiens est ad stabiliendam sententiam oppositam. Nam primum, quoniam, vt iam ostendi, notitia, quæ suapte natura est directiua praxeos & proxima mensura illius, siue subiectum sit potens ad operationem exercendam, siue non, habet veram rationem notitiæ practicæ: quæ non variatur per mutationem subiecti penes solam potentiam operandi: & ita negandum est accessu, vel recessu potentie transire notitiam de practica in speculatiuam, aut vice versa. Item superius ostendi rationem notitiæ practicæ non consistere in actuali, sed aptitudinali relatione ad finem, atque adeò siue voluntas intendat opus per eam regulandum, siue non, retinet veram rationem notitiæ practicæ, dummodo sua-

pte na-